



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Formularium Episcopale**

**Barbosa, Agostinho**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Formula VII. Litterarum testimonialium de hujusmodi bonis publicatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10456**

dorum, rogaveritque me notarium prædictum idem N. ut de hoc illi testimoniales litteras conficerem, cum, ut asserit, ad Ordines Ecclesiasticos cupiat promoveri, cautionemque idoneam præstiterit de eis non alienandis priusquam illi ex Ecclesiæ redditibus, aut aliunde suppetat, unde arbitrio Ordinarii decenter vivat: propterea per præsentem litteras fidem facio, & attestor hæc omnia ita se habere, ut supra dixi, & eas solito signo meaque propria manu roboravi, hac die.... Mens., Ann....

*De titulo patrimonij agit Conc. Brachar. IV. act. 2. c. 6. dixi supra alleg. 19. & 20.*

## FORMULA VI.

*Publicandi bona ad quorum titulum quis Ordinandus sit Subdiaconus.*

**N**Overitis dilectissimi in Domino N. ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promovendum esse ad titulum patrimonij illi assignati in & super bonis & juribus infra scriptis, quæ sunt valoris annui aureorum viginti quinque.... ut ipse asserit. Quare si quæ fictio, vel alia fraus subest, vel aliud propter quod bona ipsa, & jura non pacificè & verè à prædicto N. promovendo possideantur, vel si quæ bonorum, & jurium ipsorum pars ære alieno, aliove modo obstructa sit, unde is deinde initiatus non habeat satis unde vivat, ad me, vel ad illustrissimum

Archiepiscopum, seu ad ejus vicarium generalem quamprimum studeatis deferre.

## FORMULA VII.

*Litterarum testimonialium de hujusmodi bonis publicatis.*

**A**ttestor Ego N. Parochus S. N. loci N. hujus Archiepiscopatus Bracharensis inter Missarum solemnias, dum frequens adesset populus me denunciasset N. promovendum fore ad sacrum Subdiaconatus Ordinem ad titulum patrimonij, seu bonorum immobilium infra scriptorum valoris annui aureorum viginti quinque videlicet.... ut si quæ subessent fraudes, seu fictiones eo proscripito deferrentur, neque hucusque quicquam contrarium delatum fuit, quin ad eorundem bonorum, & reddituum titulum ordinari possit. In cujus rei fidem, &c.

## FORMULA VIII.

*Testimonij magistri scholæ pro iis, qui ad minores Ordines promoveri volunt.*

**E**GO N. qui approbatus, & emissa fidei professione Grammaticam, seu, &c. doceo publicè in oppido Vimaraniensi, Bracharensis diocesis fidem facio N. qui ad Ordinem N. admitti petit, meum gymnasium modestè frequentare solitum fuit, bonæ indolis esse, bonis moribus præditum,